



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia X. De pura omissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

CONTRORSIA X.

De pura omisione.

DISPVTANT Doctores an possit dari pura omisio libera; dicitur pura omisio, illa, quæ est in voluntate absque alio actu illam inducente, seu in impossibili cum actu positio, cui omisio positio opponitur, neque imperatur aliquo actu directo. Vnde quando est actus amoris in voluntate, omisio odij non est pura, quia amor impossibilis est cum odio, & quando quis dicit, nolo odio habere, omisio odij pura non est, quia imperatur ab actu positio illam imperante. Omisio libera necessarii dependet à cognitione; id autem, quod à cognitione dependet, ab illius obiecto aliquo modo necellum est dependere, vnde ad eandem questionem pertinet definire, an detur omisio, & an à motiuo aliquo omisio dependeat. Posito respectu ad motiuum in omisione insurgit difficultas an ex motiuo supernaturali ipsa omisio supernaturalitatem trahat. Ex his procedunt Theologi ad disputandum an pura omisio sit moraliter honesta, & meritoria. Definiam ergo an omisio libera sit, Quomodo ex cognitione dependeat, An motiuum habeat intrinsecè vel extrinsecè: an supernaturalitatem ab obiecto trahere possit, quæ ad Philosophum pertinent. An verò sit honesta moraliter, & meritoria, Theologis disputandum relinquam, ne in alienam messem fallam mittam. Alio sensu solet inquiri, an possit esse pura omisio, videlicet an voluntas possit libere cessare ab omni actu, quod hic similiter definiam. Controuersia hac acrem inter Recentiores nostros disputationem excitauit, ideo illam exactè tractabo inter Philosophiæ terminos.

PUNCTVM PRIMVM.

An possit dari pura omisio?

§. I.

Singularis sententia refertur.

1 Singularis est sententia quam tenet Gabriel in 2. distinctione 41. questione vnica, articulo 3. dub. 3. pro qua Neotericozum quemdam refert Salas l. 2. tom. 13. disp. 2. sect. 5. n. 82. quamque ex Caiet. 1. part. 4. q. 63. art. 5. defendendam suscepit Hurtad. tomo de Incarnatione, disp. 62. sect. 3. in qua defenditur voluntatem posse elicere actum amoris, & illum omittere absque vilo actu positio, non tamen libere omittere, dum actu positio non dicit, volo omittere, & potentiam libere exercentem actum positio non libere eodem euentu omittitur, etiamsi omittet in instanti in quo posset non omittere; & actum positio elicere.

2 Fundamentum huius sententiæ sumitur ex non esse, in quo consistit omisio: actus enim amoris physice est, & habet entitatem, physiceque producitur, omisio verò illius non est physice secundum entitatem, vnde per metaphoram illi esse tribuimus, & metaphoricè dicimus, caritas est, dicitur, si propriè loqueremur, visus non est, nunquam negationem absolute esse significantes.

3 Ex hoc duplici actu, vno physico in entitate actus positio constituitur, & altero metaphorico in non esse actus, seu in omisione, quæ metaphoricè est actus, & dicitur esse, duplicem potentiam actuum medietur Hurtad. propriam & metaphoricam. Potentia propriè operatiua est respectu actus proprii & physici. Potentia metaphorica est respectu actus metaphorici, & improprii, scilicet omisionis, quem actum Logicum appellat Hurtadus, & po-

tentiam respectu illius Logicam, & logicè potentem esse asseruat.

His iactis principiis sic arguit Hurtadus: Omnis terminus liber voluntatis est operabilis: sed omisio non est operabilis: ergo non est libera. Secundo, Potentia est libera respectu illius termini, quem potest operari, & non operari: sed non potest operari, & non operari omisionem: ergo respectu omisionis non est libera. Probat minor. Potentia non potest operari omisionem: ergo potentia non respicit omisionem, tanquam terminum operabilem, & non operabilem: ergo non illam respicit tanquam terminum libertatis.

Si respondeas potentiam dici propriè operatiuam respectu vnius termini, videlicet respectu termini positio, impropriè comparatione alterius, quod sufficit vt respectu vtriusque sit libera. Occurrit Hurtadus: Definitio cuiusvis rei absque vlla metaphora debet conuenire definitis vt sit tale simpliciter; pratum enim cui per metaphoram definitio risus competere potest, simpliciter, & verè non ridet: ergo vt omisio simpliciter, & propriè libera esset, illi debebat absque vlla metaphora competere definitio libertatis: ergo absque vlla metaphora debebat esse operabilis, & non operabilis: sed sic est, quod seclusa metaphora omisio non est operabilis: ergo non potest esse simpliciter libera. Hoc est fundamentum magis fucatum huius sententiæ; nonnulla alia adducit Hurtadus, quæ postea obiciam.

§. II.

Relata sententia repellitur.

Concedendum est Hurtado, omisionem physice entitatem non habere, est enim ipsum non esse entitatis, nihilominus concedendum non est, voluntatem metaphoricè, seu dependentè ab aliqua metaphora, seu ente rationis omittere, neque dicitur de voluntate omittere, sicut de pratis dicitur ridere, quia seclusa metaphora & translatione, prata non ridet, neque propriè risus pratis conuenit, qualibet autem metaphora seclusa, & quolibet ente rationis præciso, voluntas omittit, seu non operatur, quod est idem; & propriissimè absque vlla metaphora dicimus, voluntas non operatur, & potest operari. Dicitur, omisionem habere esse metaphoricum; si entitatem illi propriam, & physicam tribuamus, quæ illi non conuenit, & voluntas cum omittit, dicitur metaphoricè operari, propriè tamen & absque vlla metaphora non operari, seu omittere.

Deinde potentiam ad non esse, seu ad omisionem quæ metaphoricè dicitur, simpliciter esse, & modo positio significatur esse potentiam metaphoricam impropriam, & Logicam duplicem sensum potest habere. Primus est ipsam potentiam, & virtutem physicam per suammet entitatem physicam, per quam est operatiua, respicere actum metaphoricum, & improprium. Secundus est, ipsam potentiam intrinsecè, & ipsam virtutem metaphoricam esse. Secundus hic sensus ab omni veritate alienus est. Primus est castigandus, iuxta modò dicta de natura omisionis. Datur enim potentia physica, & positio ad negationes, quæ physice non sunt, sicut datur potentia realis factiua entium rationis, & ad chimericum actum datur potentia physica. Fateor potentiam physicam, intellectum videlicet, immediatè tantum efficere suas operationes, ex quibus entia rationis resultant: Veruntamen ex eo quod efficiat cognitiones, ex quibus entia rationis resultant, dicitur intellectus entia rationis efficere per virtutem physicam & positioam secum identificatam; & voluntas libere imperans cognitionem circa ens rationis, dicitur libere efficere entia rationis, neque minorem libertatem habet circa entia rationis resultantia ex cognitione, quam haberet circa alia entia realia, quæ ex ipsis cognitionibus resultarent. Rem hanc disertè, clarè, & doctè, paucis terminis complexus est sapientissimus Soar. tom. 1. Metaphys. disp. 19. sect. 4. num. 8. vbi dicit potestatem ad nolendum, seu suspendendum actionem, in se positioam quandam perfectionem esse, tamen in vsu per solam negationem, seu carentiam actus exerceri posse. His præiactis Hurtadum impugno.

Potentia ita amat, vt possit non amare: ergo est indifferens ad amandum, vel non amandum; ergo est libera ad amandum;

amandum, & non amandum: ergo ad amandum, & ad omittendum amorem, quia nihil aliud est amorem omittere, quam non amare. Concedis ita amare, ut possit non amare, & concedes similiter esse indifferentem ad amandum, & non amandum; negabis tamen esse liberam ad non amandum, quia libertas respicit terminum positivum physicum, & operabilem, & id quod est, non amare, non est physicum, neque operabile, ac proinde non potest esse liberum, neque respici tanquam terminum libertatis. Contra: potentia est indifferens respectu amoris, & non amoris: ergo libera. Probo consequentiam: libertas nihil aliud est, quam indifferentia orta in voluntate ex principio intrinseco, videlicet ex cognitione, & natura eiusdem potentiae: sed voluntas est indifferens ad amorem, & non amorem, seu omissionem amoris, indifferentia orta ex cognitione, & ex ipsa natura voluntatis: ergo est libera.

Dices, libertatem esse indifferentiam ad terminum positivum, non tamen ad terminum negativum. Contra: Indifferentia est eadem respectu termini positivi, & respectu termini negativi: ergo libertas eadem. Probo antecedens: quilibet indifferentia ex suo conceptu formali praecise essentialiter respicit duos terminos, ad quos datur indifferentia, & principium, vel subiectum constituitur indifferens: ergo indifferentia ad actum, ex suo conceptu formali per eundem respectum, per quem constituitur indifferentia ad illum, debet respicere aliud extremum, scilicet negationem actus: ergo est omnino eadem indifferentia respectu actus, & respectu negationis: ergo eadem omnino libertas. Urgeo: voluntatem esse liberam ad aliquem actum, nihil aliud est quam à principio intrinseco esse indifferentem, indifferentia, quam ipsa potest à seipsa tollere: sed hoc modo est indifferens ad actum, & ad omissionem: ergo est libera ad actum, & ad omissionem. Si dicas, libertatem non esse indifferentiam assignatam, in quacunque materia, sed tantum respectu materiae positivae, absque fundamento hoc confingis, & eodem modo posses dicere libertatem non esse indifferentiam ad omnes actus, sed actus certae speciei, verbi gratia, ad actus amoris, & non odij.

Secundò, ad hominem contra Hurtadum, qui huic patrociniatur sententiae, sic argumentor. Ad libertatem requiritur, ut illius terminus sit operabilis, & non operabilis, & quia omissioni convenit tantum esse non operabilem, & illi non convenit esse operabilem, non est libera: sed actui positivo tantum convenit esse operabilem, & non illi convenit aliud extremum, videlicet, esse non operabilem: ergo actus positivus non est liber. Negat Hurtadus minorem propositionem §. sexagesimo quinto, & asserit, actui convenire esse non operabilem, quia omisio actus est eius corruptio, à qua denominatur actus corruptus: & sicut corruptio dicit actum corruptum, ita omisio denominat actum omissum: omissibile autem, & non operabile, idem sunt. Totam doctrinam in ipsum reorquo: omissibile & non operabile sunt idem per te: sed per te actus est omissibilis & non operabilis à voluntate: ergo omisio, & non operatio est à voluntate. Patet consequentia: Actus denominatur omissus ab omissione, & constituitur talis per illam: ergo non potest esse omissus à voluntate, quin omisio sit à voluntate, neque voluntas valet esse potens ad illum omittendum, quin sit potens ad omissionem: sed actus omissus est à voluntate, & voluntas est potens ad actum omissum: ergo omisio est à voluntate, & voluntas est potens ad omissionem.

Tertio obicit sibi Hurtadus: libertas contradictionis est libertas ad operandum & non operandum: ergo datur libertas respectu operationis, & negationis operationis. Tradit §. 63. libertatem contradictionis non esse definientiam per libertatem ad operandum, & non operandum, sed per potentiam ad operandum, & non operandum, & ex hoc capite negat antecedens. Mitto potentiam ad operandum, & non operandum, esse potentiam indifferentem ad utrumque, & consequenter potentiam liberam: sumo id, quod concedit Hurtadus, & sic argumentor. Libertas contradictionis est potentia ad operandum, & non operandum: ergo ut detur haec libertas, debet dari potentia ad non operandum: consequentia est à definito, ad partem definitionis. Haec potentia ad non operandum, vel est potentia Logica, & metaphorica, vel Physica: si est potentia Physica; ergo respectu omissionis datur potentia Physica operatiua; ergo poterit esse libera. Probo conse-

quentiam, quia ideo non datur libertas respectu omissionis, quia respectu illius non datur potentia Physica in sententia Hurtadi: ergo si datur haec potentia, omisio poterit evadere libera. Si non datur potentia Physica respectu omissionis: ergo non datur libertas contradictionis. Probo consequentiam: definitio libertatis contradictionis importat potentiam respectu omissionis: ergo si talis potentia non datur, non datur importatum per definitionem: ergo non datur definitum; dices, sufficere potentiam metaphorica, qualem concedit Hurtadus respectu omissionis. Bene: ex eo quod definitio libertatis perat potentiam ad terminum liberum, & non detur potentia Physica, sed metaphorica ad omissionem, non datur libertas respectu illius quia verba in definitione posita non debent convenire definito metaphorice, sed proprie, neque metaphoram, sed propriam rationem sonant, ut argumentatur Hurtadus §. sexagesimo secundo: ergo definitio libertatis contradictionis, quae petit potentiam ad omittendum, debet intelligi de potentia Physica ad omittendum, neque poterit esse libertas contradictionis, vel si dicas, potentiam requisitam ad omittendum in definitione libertatis contradictionis debere intelligi de potentia metaphorica, similiter dicito, potentiam ad operandum positam in definitione libertatis, posse intelligi respectu omissionis de potentia metaphorica.

Quartò: Illa est potentia libera in omittendo, quae positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere: sed voluntas positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere: ergo est potentia libera in omittendo. Probat maior: Illa est potentia libera in operando, quae positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: ergo illa est potentia libera in omittendo, quae positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere. Respondet Hurtadus §. sexagesimo septimo, maiorem propositionem esse de subiecto non supponenti, quia nullibi est talis definitio potentiae liberae, neque potest esse: definitio enim potentiae liberae non est quae potest omittere, & non omittere, sed quae possit operari, & non operari. Porro verbis haeret Hurtado videas facile, quam parum illi praestent. Omittere formalissime est non operari, non omittere formalissime est operari, quia non esse negationis est ipsa meritis actus, ut ipse Hurtadus probat: ergo omittere, & non omittere, est idem, ac operari, & non operari; ergo idem est, potentiam posse omittere, & non omittere, & posse operari, & non operari: ergo parum consequenter asserit Hurtadus, definitionem potentiae liberae dari per posse operari, & non operari, & esse de subiecto non supponenti, definitionem datam per posse omittere, & non omittere.

Quintò, Omissio est à voluntate, non necessario: ergo liberè, quia nihil potest esse à voluntate, quin sit liberè, vel necessario ab illa dimanans. Respondet Hurtadus, omissionem non esse liberam, neque necessariam, quia non est à voluntate tanquam à potentia Physica, sed tanquam à potentia Logica, à qua Legicè, & per metaphoram procedit, quod autem tantum habet esse metaphorica, & non à potentia proprie liberum non est. Contra: illud esse metaphorica, quomodocumque fit, potest destrui, & poni à voluntate: ergo est libera respectu illius, & eo modo improprio, & metaphorico, quo est, vel potius non est, potest auferri à voluntate; ergo illud non esse metaphorica, liberum est respectu voluntatis. Secundo falso dicitur, illud non esse negationis, seu esse metaphorica, quod appellat Hurtadus esse à potentia Logica, probavi enim supra, potentiam per modum actus primi esse intrinsece eandem respectu omissionis, & respectu actus positivi: neque est inconueniens, non esse rei, seu negationem illius, quod appellat Hurtadus esse metaphorica, procedere à potentia Physica reali liberè.

Sextum & ultimum argumentum, & omnium efficacissimum contra hanc sententiam sic habet. Sine actu positivo omisio non est libera, etiam si voluntas possit exercere oppositum actum: ergo etiam si infert praecceptum audiendi Missam, & quis possit illam audire, & de facto illam non audiat, neque velit eam audire, dummodo non habeat actum, quo dicat, volo non audire Missam, non peccavit. Patet consequentia, quia omisio libera non erit absque illo actu positivo, quantumvis voluntas possit actum oppositum omissioni producere. Vis consequentiae eludi nequit,

nequit, & consequens durissimum est, quis enim dicit filium, qui patrem videt fame pereuntem, & iam animam exhalantem, & cibis abundat, quibus potest patris subleuare miseriam, non esse reprehensione dignum si patrem fame mori permittat, si actum positum non habeat, quo dicat, nolo meo indigenti patri subuenire, sed tantum negatiue se habeat, nullumque positum actum eliciat. Cum hoc argumentum proposuisset Hurtadus, illius grauitate, ac difficultate oppressus, non nihil ab hac sententia discessit, asseritque, non adeo esse authoritate, vel ratione firmatam, ut non possit ab aliquibus morderi, quapropter ipse non semel illam impugnat, alibi eandem impugnaturus: ait tamen ipsi placere adhuc probabilem esse ostendere propter authoritatem Caietani, & sui Magistri, qui eam defendit: ad obiectionem autem respondet, casum propositum nunquam in via contingere, quia omisio parum temporis potest durare, intra quod preceptum affirmatum, quod semper obligat cum temporis extensione, non virget, neque peccatum omisionis committitur. Suffragium petit ad hanc solutionem commendandam ex Vasquio docente, ex multis grauissimisque Doctoribus, non dari peccatum purae omisionis, quorum aliqui repugnare censent; alij liberam esse negant.

13 Frustra conatur Hurtadus nostrum Vasquium, & Doctores alios suae sententiae, praesentique solutioni suffragari; qui enim negant, posse dari puram omisionem, vel affirmant liberam non esse, non dicunt, voluntatem posse elicere actum positum, & illum non elicere per puram omisionem. Deinde siue contingat, de facto siue non contingat talis modus omittendi: Inquiri, An si de facto contingeret absque omni actu, talis omisio esset peccaminosa? Teneatur Hurtadus vi illationis negatiue respondere, si aliquid respondeat, quod prudens non audeat. Id mihi sane mirum est in hac opinione, ut id, ad quod tota illa ordinatur, quodque totus illius discursus subsistere procurat, concedere non audeat. Attendas praecor. Inuenta fuit haec sententia a Caietano, & illam est amplexus tanquam probabilem Hurtado. ut defendant, Christum, supposito Patris praeccepto de morte obedienda, liberè fuisse mortuum, quia Christus absque peccato per puram omisionem potuisset non velle mori, etiam si Pater illi praecepisset mortem pati, quia in pura omisione, etiam si actus illi oppositus sit praecceptus, & fieri possit, nullum est peccatum, & hanc eandem doctrinam, quam stabilire intendunt huius sententiae patroni, concedere non audent.

14 Hanc sententiam tanquam parum tutam relicta Patet Salas, quia videtur esse contra illud Iacobi 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*: & Matth. 3. & 7. *Omnia arbor, quae non facit bonos fructus, eradicabitur*: & Luca 11. *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis*: & Roman. 1. *Digni sunt mori, non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt*, quae testimonia expendere meum non est, qui iuxta terminos Philosophiae me contineo.

§. III.

Quid de quaestione?

15 Pro sententia negante puram omisionem referuntur P. Valentia disp. 6. q. 1. part. 4. Vasquez 1.2. disp. 82. hitamen Doctores rem tractant Theologicè, disputantes de peccato omisionis, quod affirmant nunquam dari per puram omisionem, quia haec non potest notabili tempore durare, intra quod cum latitudine obligat preceptum positum, cuius adimplerionis omisio donec totum sit transactum non imputatur peccato. Hac ratione docet Valentia, puram omisionem non posse dari moraliter loquendo, non tamen physice; nec illam ex natura rei contingere non posse docet Vasquez, ut malè illum interpretatur Montesinos postea citandus, concedit enim loco citato num. 6. omisionem puram posse per breue aliquod tempus durare, ex quo inferitur in doctrina huius Doctoris semper in omnibus sibi valde consona, & tenacissimè rem semel traditam defendens hanc impossibilitatem esse moralem, & non physicam; quia si esset physica, eadem esset pro breuissimo tempore, & pro longa ipsius omisionis duratione. Eodem modo negauit Medina 1. 2. q. 71. posse dari puram omisionem moraliter loquendo, non physice, quia in illa nulla repugnantia physica reperitur.

16 Sententiam absolutè negantem tenet Montesinos 1. 2. Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 11.

tom. 2. disput. 2. q. 2. apud quem nonnullos citatos inuenies pro hac sententia; sed ferè omnes illos, aliòque quam plurimos explicatos inuenies apud Salas postea citandum de impossibilitate morali, & non physica.

17 Posse dari puram omisionem, defendit P. Ruiz, de Prouid. disput. 37. sect. 1. num. 13. & disp. 42. sect. 7. num. 17. Salas 1. 2. lib. 13. disp. 2. sect. 5. Ripalda de ente supernaturali disp. 70. Hurtadus Complutensis 1. 2. lib. de peccatis, disp. 3. difficult. 17. Arriaga de anima disp. 8. sect. 6. & alij apud istos, & quam plurimi apud Salas, qui docent omisionem puram tantum moraliter esse impossibile (hoc est rarè & difficile dari) non physice, ita expresse Suar. tom. 1. Metaph. disput. 19. sect. 4. n. 8. Praedictam conclusionem sic probat. Voluntas indifferens ad amandum, vel odio habendum, ita potest amare, ut possit non amare, & ita potest odio habere, ut possit non odio habere: ergo potest cessare ab amore, & odio: ergo potest omittere. Respondent nonnulli, tunc voluntatem elicitorum necessariò actum, quo dicat, nolo amare, & ita omisionem amoris non fore liberam. Contrà: Si tunc voluntas esset elicitorum actum, quò diceret, nolo amare, similiter deberet elicere actum, quò diceret, nolo odisse, quia non est maior ratio vnius quam alterius. Deinde si tantum elicere actum, quò diceret, nolo amare, talis actus non esset in composibilis cum odio, bene enim componuntur, nolo amare, & odio habere; ergo omisio odij esset pura omisio.

18 Tandem nullum ex his actibus voluntatem esse elicitorum sic probat. Ad hoc ut voluntas sit indifferens ad amandum, vel odio habendum sufficit propositio obiecti boni cum admixtione mali, absque illa cognitione amoris, vel odij; sed propositio obiecti partim amabili, & partim odibili, absque cognitione amoris, vel odij, voluntas est indifferens ad amandum, vel odio habendum subiectum, & non est potens elicere actum reflexum, quo dicat, volo amare, vel volo odio habere: ergo si tunc potens est omittere amorem, & odium, potens est purè omittere, neque tenebitur elicere actum reflexum, quo dicat, volo amare, seu volo odisse. Posse proponi obiectum, partim amabile, & partim odibile, absque cognitione amoris, vel odij, nemo in dubium vocare poterit: postea hac propositione, sine cognitione amoris, & odij, voluntatem non esse potentem dicere, volo amare, seu odio habere, est per se notum, quia voluntas ferri non potest in obiectum incognitum.

19 Vltimò hanc solutionem impugno. Voluntas potest suspendere omnem actum circa obiectum directum illi propositum, ita ut visio obiecti amabili, & odibili, non exerceat actum amoris circa illud: ergo etiam poterit suspendere omnem actum reflexum circa amorem & odium, ita ut non dicat, volo omittere amorem, aut odium.

20 Aliter respondent alij, voluntatem indifferente ad amorem, & odium teneri amare, vel odio habere, & dici potentia liberam, non quia possit vtrumque actum omittere, sed quia ex his duobus, scilicet amore, & odio, potest quem ipsa maluerit eligere. Contrà: nullum est caput, ex quo oriatur haec necessitas sub distinctione, obiectum enim ita proponitur amabile, ut possit non amari, & ita proponitur odibile, ut possit non odio haberi: ergo est potens voluntas omittere hunc actum, & illum, saltem sub distinctione: ergo vtrumque simul: probo consequentia: nullum est principium, quod determinet, aut inclinet ad actum sub distinctione, sed quaelibet cogitatio inclinat determinare ad actum determinatum: ergo si ex nulla necessitate ad hunc actum determinatum, nihil est, quod in communi ad hunc vel illum necessitet.

21 Fortius arguo in libertate contradictionis, in qua voluntas est potens amare, & non amare, & non valet odio habere, in qua dici non potest, teneri amare, vel odio habere, quia ex vno capite est impotens ad odium: ergo si alio cogereetur amare, vel odio habere, esset necessitata ad amorem: bene enim valet, voluntas necessariò teneretur amare, vel odisse; non potest odisse: ergo necessariò teneretur amare. Ex quo infero, voluntatem liberam libertate contradictionis posse amare, & purè omittere, cum possit cessare ab amore, sine actu odij, ad quem non est potens, & sine actu, quo dicat, nolo amare, quia, ut dicebam, ad libertatem amandi, & non amandi obiectum directum, non requiritur libertas ad actum reflexum neque cognitio amoris: Ex libertate contradictionis gradum facio ad libertatem contrarietatis, quae nihil aliud est, quam duplex libertas contradictionis circa duos actus inter se oppositos.

22 Exemplo causarum naturalium explicatur, & probatur nostra

N

nostra

nostra conclusio. Cause naturales inclinatur in effectus contrarios, possunt se mutuo impedire, ita ut nulla aliquid producat: ergo eodem modo duplex cogitatio inclinatur ad diuersos actus, possunt ita se mutuo impedire, ut cogitatio inclinans ad amorem, voluntatem retrahat ab odio, & cogitatio inclinans ad odium voluntatem retrahat ab amore, ita ut ipsa in neutram partem feratur, sed omnem actum libere suspendat, & pure omittat.

23 Specialiter contra Thomistas physicam prædeterminationem propugnantes dari posse puram omissionem, quod ipsi communiter negant efficaciter probatur. Afferunt huiusmodi prædeterminantes prædeterminationem non requiri ad posse sed ad operari, ut hac ratione defendat hominem non prædeterminatum ad actum honestum illum libere omittere, inquirunt enim, quod etiam si careat physica prædeterminatione ad actum, non carere poterunt ad illum, quia physica prædeterminatio non pertinet ad constitutum potentie neque actus primi, sed est quid medium, inter actum primum, & secundum, seu complementum actus primi, & illius applicationem ad actum secundum. Insuper afferunt implicare de facto dari actum sine physica prædeterminatione ad illum, & ita implicare hæc duo coniungi carentia physica prædeterminationis ad amorem, & amoris actum, sicuti implicat dari physicam prædeterminationem ad amorem, & non dari actum amoris, quod est implicare hæc duo coniungi existentia physica prædeterminationis ad amorem, & carentiam amoris.

24 Ex his principiis sanctis physice prædeterminantibus argumentor sic. Pone hominem cum iudicio indifferenti rationis ad amorem, & carentiam amoris omni physica prædeterminatione destitutum, hic homo nullum actum positivum eliciet, quia implicat hunc de facto dari sine physica prædeterminatione: ergo omittet amorem nullo actu amoris opposito habito, insuper est potens ad amoris omissionem, quia ad illum, & carentiam illius habet iudicium indifferens rationis: ergo omittet actum, quem potest elicere absque eo, quod alium actum impossibilem cum actu omissionis eliciat: ergo homo ille habebit puram omissionem liberam.

25 Respondent Discalceati Carmelitani 1. 2. tract. 10. disp. 3. dub. 4. n. 36. in eo casu voluntatem posse elicere actum præceptum, & nihilominus illum omittentem non omittere libere, quia ad hoc ut omisso sit libera respectu voluntatis non sufficit hanc posse elicere actum omissioni oppositum, & illam omittere, sed requiritur, ut illud, quod est liberum egrediatur à voluntate. Hoc est dicere requiri esse actum positivum, quod est egregia petitio principii: deinde est contra lumen rationis asserere libere non omittere illum, qui omittit, & potest operari, seu non omittere, omne enim, cuius oppositum potest voluntas ponere liberum est respectu illius, cum ad illud, & ad oppositum indifferens sit. Aliiter respondent iidem Carmelitani ibidem asserendo, voluntatem omni prædeterminatione destitutam ad nullum actum habere potentiam, data tamen prædeterminatione ad alterum potentem esse ad utrumque v.g. data prædeterminatione ad amorem ex vi huius prædeterminationis constitui potentem ad amorem, & ad actum oppositum, odium videlicet, vel nolitionem amoris. Ut hoc componat cum conclusione asserente prædeterminationem esse applicationem supponentem posse, egregiam quandam Philosophiam meditantur. Afferunt prius naturam produci in quolibet effectu gradus uniuersaliores, quam minus uniuersales suo ordine usque ad gradum infimum. v.g. in homine prius natura produci gradum substantie, deinde gradum corporis, & postea viuentis, &c. Et si hi omnes gradus realiter sint identificati, eodem ordine asserunt prius naturam prædeterminari causam ad gradus uniuersaliores, & postea ad minus uniuersales, & si prædeterminatio ad omnes physice sit una simplex entitas. Rursus affirmant prædeterminationem ad gradum substantie quæ respectu illius tantum est applicatio, & non dat posse, sed supponit, dare posse respectu gradus immediati minus uniuersalis, v.g. respectu gradus corporis, & prædeterminationem ad gradum corporis, quæ respectu illius est applicatio dare posse ad gradum viuentis, & sic in aliis. Ex hoc fit omne prædeterminationem ad hunc gradum esse tantum applicationem ad illum, & supponere illius posse iam constitutum per applicationem ad gradum superiorem immediatum, & constituere posse ad gradum inferiore immediatum. v.g. prædeterminatio ad gradum corporis est tantum applicatio ad hunc gradum, & supponit

posse ad illum iam constitutum per applicationem, seu prædeterminationem ad gradum substantie, & constituere posse ad gradum viuentis immediate inferiorem. Fit etiam intra hanc doctrinam prædeterminationem ad illum gradum in quo immediate conueniunt, amor, & nolitionis amoris, vel ad gradum specificum amoris esse tantum applicationem respectu illius, & carentiam prædeterminationis ad gradum specificum odij, seu nolitionem amoris esse carentiam applicationis ad hunc gradum specificum, & non carentiam posse, seu potestatis ad illum. Rursus fit voluntatem nullam habentem prædeterminationem non habere posse ad gradus differentiales, & inferiores, quia non habet applicationem ad gradus superiores, cum enim nullam habeat prædeterminationem, nullam habet applicationem.

Hic dicendi modus plurimis scæter implicationibus imprimis implicat in his, quæ realiter sunt identificate: reperiri prioritatem naturæ, cum enim prioritas naturæ sit prioritas causalitatis, & nihil possit esse causa sui ipsius, nihil potest esse prius se ipso, seu aliquo secum identificato. Ex hoc fit Chymeram esse prioritatem illam naturæ, quam inter gradus magis, & minus uniuersales physice identificatos modus iste dicendi confingit. Eandem Chymeram cõcernet prioritas illa naturæ inter prædeterminationes sola intellectus cognitione distinctas in simplici entitate viuis prædeterminationis repertas. Est etiam in igne figuratum assignare quoddam constitutum posse, seu potentie per suam entitatem intrinsece essentialiter oppositum, & incompossibile cum actu, cuius est potentia, posse enim, & potentia ordinantur ad dandam existentiam effectui, quomodo igitur ad hoc ordinari poterit id quod cum tali existentia essentialiter, & quidditatiuam continet repugnantiam. Deinde si posse ad quemlibet gradum constituitur per applicationem ad gradum immediatum illi superiorem. Inquirio per quam applicationem, seu applicationem ad quæ gradum constituatur posse ad gradum supremum. Profecto ægre discalceati homines per hæc dumtaxat, & inuicem incedere valebunt, redeant ad veram, & tritam philosophicam viam, si forte intra illam sibi commendatissimam physicam prædeterminationem insequi, & comitari valeant.

S. IV.

Quomodo omisso libera dependeat à cognitione.

Omissionem liberam procedere ex cognitione, adeo certum est, ut nemo possit oppositum in dubium vocare, quod breuiter efficacissimis rationibus euincitur. Implicat libertas ad omittendum, sine cognitione, per quam ultimum completur, & constituitur voluntas libera: ergo implicat, dari omissionem liberam sine cognitione. Probo consequentiam: implicat omissionem liberam sine libertate: sed cognitio est quid pertinens, tanquam constitutum libertatis: ergo implicat omisso libera sine cognitione. Breuius: libertas in actu secundo dependet à libertate in actu primo: sed omisso est libertas in actu secundo, hoc est, id, quo voluntas exercet suam libertatem: ergo dependet à libertate in actu primo: sed libertas in actu primo est cognitio: ergo dependet à cognitione.

Confirmatur: voluntas impulsu vehementi cogitatione inclinante ad amorem, amat necessarium, ni alia cogitatione ab eodem amore retrahatur: ergo sine hac cogitatione retrahente non potest non amare, seu omittere: ergo supposita cogitatione inclinante ad amorem, omisso dependet necessarium à cogitatione inclinante ad odium, vel saltem retrahente ad amorem. Nota fit consequentia, & viget ratio. Quoties duo, ita se habent, ut vnum non possit esse sine alio, quod potest esse sine illo, extremum quod sine consortio alterius subsistere valet, independens dicitur, & alterum, quod sine aliis consortio subsistere nequit, dependens iudicatur: sed omisso libera non potest esse sine cognitione, cognitio autem potest esse sine omissione libera: ergo omisso dependet à cognitione, & cognitio ab omissione non dependet.

Posita hac dependentia inter omissionem liberam, & cognitionem, difficile sanè est, explicare, in quo consistat, & quomodo possit cognitio in omissione influere, quam difficultatem nostri Recentiores peracutè diuoluunt. Neque eadè tibi videatur de influxu cognitionis in negationem, & in actum positivum, est enim longè maior in omissione, quæ non viget, quando in voluntate vnica solum datur cogitatio à qua possit omisso dependere, tunc enim facilè soluitur.

soluitur questio de omisione, eodē modo ac de actu positiuo dicendo, influxū precīsē consistere in cognitione, & in omisione simul existentibus: sed nos premit, quando duplex cognitio proponens diuersa motiua, & sepe incompossibilia, voluntatem ad omisionem inclinat, v. g. cognitio, quæ dicit, ne audias sacrum, vt domi ludas, & cognitio, quæ dicit, ne audias sacrum, vt cum amicis rusticis: & de facto voluntas omittit actum internum circa auditionem sacri, quia cogitatione dicendum est, procedere talem omisionem: vel quid sit speciale in voluntate, quando procedit ab hac, quod non sit quando procedit ab illa: Neque similis est difficultas respectu actuum positiuorum, quia quando mouet cogitatione quæ dicit, ne audias sacrum, vt domi ludas, elicio actū quo dico, nolo audire Missam vt domi ludam, quando vero mouet cogitatione, quæ dicit, ne audias Missā, vt cū amicis rusticis, elicio alium actū, quo dico, nolo audire Missam, vt cū amicis rusticis, qui actus sunt inter se distincti, & oppositi, neq; vnus potest ex motiuo alterius dependere, neque alterius regi cognitione, in omisione autem semper datur eadem omisio, quæ secundum se indiuisibiliter eadem, ex quacumque cognitionum illarum seorsum sumpta dependere potuit.

31 Non eisdem terminis, sed aliis in re idem significantibus difficultatē hac exagitaui Ripald. sect. 8. vbi disputat, quid sit omisione procedere ex hoc motiuo, vel ex illo, quando duo motiua sunt illi propoſita, in cuius sententia idem est, omisionem procedere ex hac cognitione, & procedere ex motiuo representato per illā, quapropter iure potero meis terminis applicare, id quod suis in eadem difficultate respondeat hic author. Inuenit ipse præter omisionē, & cogitationes inclinantes ad illā, actus quosdā inefficaces voluntatis, quibus cōplacere, & displicere potest volūtas de obiectis per cognitionē propoſitis, exēpli gratiā, proponitur mihi cogitatio dicens, ne audias Missam, vt rusticis; & alia quæ dicit, ne audias Missam, vt ludas, possum habere actum inefficacem, quo dicam, displicet mihi ludus, & alius, quo dicam, placet mihi rusticatio; tunc si purē omittam actum audiendi Missam, talis omisio procedere non potest à cogitatione, quæ dicebat, ne audias Missam, vt ludas, quia illius motiuum per displicitiam inefficacem detestatus sum, sed necessario procedit à cogitatione, quæ dicit, ne audias Missam, vt rusticis, in cuius obiecto motiuo complaceo: imò etiam si hanc complacentiam non haberem, dum adesset illa displicitia circa ludum, cognitio ludum proponens non moueret, sed quæ proponebat rusticationem, quam non sum detestatus sicut ludum.

32 Vidit Ripaldus, hoc dicendi modo, non plene difficultatē solui, quia potest voluntas omittere sine aliquo actu cōplacentiæ, neque displicitiæ circa obiecta propoſita, vel complacens in vtroque obiecto, & tunc eadem reddit difficultas, per quid constituitur omisio dependens ab hac cognitione, potius quam ab illa, cū vtriusque motiua, æquē placeant, vel saltem sint æquē uon detestata. Adde ego posita complacentiā circa motiuum vnius cogitationis, & circa aliud, adhuc voluntate negatiuē se habentē, circa aliud, posse omisionem saltem inaduatē dependere à motiuo quod voluntas non erat detestata, & tunc est eadem difficultas, per quid constituitur omisio ab illo dependens. Vt hæc soluere Ripaldus, vltimō confugit ad veritatem conditionatam, quā influxum assignauit inter actus imperantes, & imperatos, & asserit, tunc omisionem pendere ab hac cognitione, & non ab illa quando illā ablata, & hac permanente permaneret omisio. In eandē sententiam, existimo, Ruizium incidisse, asserentē disp. 37. sect. 1. n. 13. omisionem actus, tunc fore meritoriam quando liberē omittimus actum prohibitum, & omittendi ratio fuit obseruatio præcepti, quæ sublatā, ceteræ circumstantiæ nos impellebant ad actum prohibitum, ac si diceret, quando ablati præcepto, non daretur talis omisio, tunc dicenda est meritoria, ac proinde procedere ex motiuo, quod idem est ac à cognitione dependere.

33 Hunc modum assignandi influxum existentem, per id quod non existit, sed existeret, latē, & ni fallor, efficacissimē exploſi Contr. 9. Punct. 5. §. 4. & 5. Vbi de influxu actus imperantis in imperatum disputabam. Vide ibi dicta, & omnia ad difficultatē præsentē eodem modo applica. Tantū breuiter pertingam egregium argumentum, quod ibi expendi. Omisionem non futuram, deficiente hac cogitatione, dicit negationem cogitationis, & entitatem actus, cui priuatiuē opponitur omisio, quæ non sunt, sed essent:

Francisc. de Omeida Philosoph. Tom. II.

sed omisio, v. g. amoris non potest dependere, tanquam à causa, neque tanquam à causalitate, ab amore, qui est non esse omisionis, & illi opponitur; ergo non potest dependere ab illa veritate conditionata secundum id, quod dicit ex parte consequentis sub conditione, neque secundum id, quod dicit ex parte conditionis, hoc enim est negatio cognitionis, à qua modō omisio dependet; ergo non potest ab illa depēdere. Patet consequentia; nihil potest dependere à cognitione, & à negatione eiusdē cognitionis; sed omisio libera depēdet modō à cognitione; ergo nō depēdere simul à negatione eiusdē cognitionis, adhuc quæ esset. Eadē formā, licet in diuersa materia, idem argumentū expendi loco citato, ideo illud latius non expendo, sed tergiſſe sufficiat.

34 Arriag. sect. 6. citatā, sub 3. n. 13. ait, influere cogitationē in omisionem, dicere coexistentiam cogitationis proponentis motiuum ad omittendum, & ipsam omisionem, ita vt non possint hæc duo coexistere, quin cogitatio influat in omisionem; casu autem quo duplex cogitatio occurrat, ab vtraque procedet omisio, dum vtrique coexistat, quantumuis motiua propoſita per duplicem cognitionem inter se sint opposita.

35 Hæc opinio non omnino displicet, verumtamen vt iacet, illam falsam esse iudico, quod sic probo. Potest voluntas, propoſitis duobus motiuis ad omittendum, displicere de altero, & omittere v. g. posita cognitione, quæ dicit, ne audias missam vt ludas; ne audias missam, vt rusticis, elicere actū displicitiæ circa ludum, & purē omittere actum circa auditionem Missæ, & tunc coexistet omisio cogitationi inclinati ad illam propter ludum, quin ab illa dependeat; ergo dependentia non consistit in mera coexistentia. Maior ex nullo capite poterit negari; Minorē probo: motiuū, quod voluntas detestatur, non potest in eodē instāri, in quo detestatur mouere efficaciter voluntatem, adhuc ad effectū negatiuū propter ipsum, quia nihil potest fieri propter illud, quod fugere intendimus, aliā actū prosequutionis, & fugæ versaretur voluntas circa idem formale motiuum; sed voluntas in casu propoſito vult, vt non sit ludus, & quasi actū fugæ versaretur in illū; ergo non potest ex illo moueri ad omittendum. Neque respondere poteris, posse omittere voluntatem propter obiectū, quod tantū inefficaciter fuit detestata, quia adhuc inefficaciter nō potest volūtas se exercere actū prosequutionis, & fugæ circa idē formale motiuū, & casu propoſito moueretur efficaciter ad omittendum ex fine, quod inefficaciter fuerat detestata. Deinde idem argumentum fieri potest, casu quo voluntas non solum inefficaciter, sed etiam efficaciter ludū detestetur. Posset etiā hæc sententia impugnari, quia potest altera cogitatio esse posterior natura ipsa omisione, si ex prauisione huius, illam Deus infuderit, & tunc omisioni coexistet, & non influet in illam; ergo hic influxus non consistit in pura coexistentia cogitationis, & actus omisi.

36 Dicendum est cognitionem, cuius motiuū detestatur voluntas, non posse influere in omisionem, ac proinde requirere negationem talis detestationis, vt per modum actus primi influxiua sit. Eodem modo affirmo, cogitationem ex aliquo capite dependentem, non posse in illam influere. Non affirmo, cogitationē posse dependere ab omisione, à quo abstraho, sed affirmo, exigere negationem depēdentiæ, siue hæc sit possibilis, siue nō, vt influat in ipsam omisionē eo modo, quo dixi, actum imperatē exigere negationē dependentiæ ab imperato, vt influat in illū. Probatur hæc conclusio ratione, qua eandem probaui in actu imperante respectu imperati. Id quod dependet ab aliquo est posterius illo; sed quod est posterius, non potest esse prius: ergo ad hoc vt possit esse prius, requirit, non esse posterius: ergo ad hoc vt cognitio possit esse prior omisione, & influere in illam, requirit, non esse eandem posteriorem: his positis

37 Dicendum est secundū cognitionem per modum actus primi potentis influere in omisionē amoris, dicere negationem totius qualitatis prædeterminantis, & decreti prædeterminati in cōpōſibilitate cū amore, seu destructiui libertatis ad amandū, vel omittendū. Ratio est clara, quia si voluntas ante ipsam cognitionē seu independētē ab illa, est prædeterminata ad non esse amoris, omisio amoris non poterit esse libera; ergo cognitio non poterit per modū actus primi influere in ipsam omisionem, vt liberam; ergo nullo modo. Probo consequentiam, cogitatio tantū influat in omisionē, quatenus inclinat voluntatē, vt cesset ab actu, quem potest elicere; sed non potest inclinare voluntatem determinatam ad omisionem, & impotentem elicere actum

actum: ergo non potest voluntas addita ad omittendum influere in omissionem, quia tantum potest influere in omissionem, quatenus non elicit actum, quem potest ergo cogitatio non potest illuminare, ut omittat, seu ut influat in omissionem per influxum, quæ ipsa præstare nequit.

Neque refert, me dixisse actum necessarium posse provenire à principio prædeterminante, & ab alio comprincipio ex se non determinante, quia cum actus positivus habeat entitatem physicam, postquam voluntas sit determinata per modum actus primi ab vno principio, potest in actu secundo concurrere cum principio prædeterminante, & cum aliis principiis ex se non prædeterminantibus, à quibus oriatur actus secundus, & determinatio ad illum per modum actus primi. In negatione autem, cum nullus sit influxus positivus ab illo principio dicitur tota procedere, quod per modum actus primi ad illam prædeterminat, nec alia non prædeterminantia possunt quidquam in negationem influere. Ex hoc capite fatentur omnes, omissionem actus in voluntate non potente actum elicere, non procedere à voluntate, sed ab illo principio positivo, vel negativo, ex vi cuius voluntas impotens est amorem producere.

Dicendum est tertio, omissionem in actu secundo procedere ab hac cogitatione, nihil aliud esse, quam actum primum potentem influere in omissionem, & ipsam omissionem illi coexistentem, ita ut si plures cogitationes, etiam representantes obiecta in se impossibilia potentes influere in hanc omissionem, coniungantur cum illa, omnes simul per modum vnius principij adequati, & quælibet illarum per modum inadæquati principij, necessariò influant, ita ut non possit omisso hac coexistentia supposita, non ita ab illis procedere. Dixi, omnem actum primum, ut comprehenderem complacentias inefficaces circa obiectum, quod potest movere ad omissionem, si hæc per se ipsas possunt in omissionem influere, à quibus omisso procedet simul & à cogitatione per modum vnius adequati principij modo dicto, ita ut nunquam simplex complacentia sit principium adequatum omissionis, cum semper cum cognitione coniungantur.

Non immorabor in hac conclusione probanda, quia rationes omnes, quæ rem ita contingere evincunt, adduxi iam Contr. 9. p. 5. ad probandum, similem influxum in actibus imperantibus respectu actuum imperatorum. Vide ibi dicta, & omnia omnino eodem modo ad præsentem doctrinam applica, & sicut ibi dixi, influxum actuum imperantis includere nostro modo concipiendi actum imperatorem in recto, & imperatorem in obliquo, & influxum passivum dicere actum imperatum in recto, & imperatorem in obliquo, in re tamen esse eundem omnino, quia uterque dicit eandem coexistentiam, & sicut dixi, posito actu, cum duobus imperiis, dependere à quolibet inadæquate, & vno ablato, si permaneat coexistens alteri actui imperanti, iam dependere ab illo adæquate per aliam causalitatem: sic dico de omissione coexistenti duabus cognitionibus, dependere à quolibet illarum inadæquate, quod si vna cognitione ablata permaneat omisso coexistens alteri cognitioni iam soli, iam dependere ab illa per aliam causalitatem, dicendum est.

Vnum tantum in hac re apparet difficilius, quam in actibus imperatis. Quomodo, videlicet, possit omisso dependere à duobus motibus inter se oppositis, licet enim dixerim, actum imperatum posse dependere à duobus imperantibus respectibus motibus inter se oppositis, ibi facilius percipitur, quia actus imperatus immediatè non attingit motiva imperantium, in nostro verò casu omisso immediatè attingit motiva per cogitationes proposita. Respondeo rectè posse omissionem respicere duo motiva inter se impossibilia tanquam fines sub disunctione exercendos, quod etiam in actibus positivis contingit, potest quis emere equum ex intentione equitandi in viæ, vel iter agendi, per actum, quo dicat, volo emere equum propter equitationem in viæ exercendam, vel propter iter Matritum peragendum, aut si dicat, volo equum emere, ut possim equitare, & iter agere: sic qui omittit, proposito ludo, & proposita rusticatione, potest omittit propter utrumque motium, quæ omisso est propter ludum, vel rusticationem sub disunctione exercendam, seu ut voluntas sit apta & indifferens, ad actum, quo velit ludere, & actum, quo velit rusticare, ex quibus pro sua libertate postea, quem maluerit eligere, poterit.

Omissionem etiam liberam, non habere motium, docuit expressè Soar. lib. 12. de gratia c. 1. n. 9. & Amicus Ruiz disp. 37. sect. 1. n. 13. ubi docet, omissionem esse meritariam præmij naturalis, & bonam bonitate naturali, non posset autem esse bona, si ex bono motivo non fieret, Ripalda tenacissimè defendit disp. 70. citatà per totam, trahit ex motivo honesto, à quo procedit dem teneat Augustus, & Zumel apud Ripaldam, & sapientissimum recentiorum consensus, quibus ergo subscribo, huic opinioni non immeritò suffragor.

Deterruit multos, ad concedendum motium respectu omissionis, difficultas, quam §. precedenti solui, scilicet, nihil esse, per quod omisso constituitur dependens ab hoc motivo, potius quam ab illo, quando occurrit duplex motium disparatum, vel oppositum: sed hi Auctores rem contentè non sunt meditati, est enim idem solvendus nodus, siue omisso motium habeat, siue careat illo, dum tenet libera constituitur, eo enim ipso, quod sit libera, dependet à cognitione, & ex hac dependentia eadem oritur difficultas, quomodo constituitur omisso dependens à cognitione, quæ sine illa esset eadem, & quæ ratione dependeat ab hac cognitione potius, quam ab illa, cum duplex occurrit cognitio, obiecta disparata, vel opposita proponens.

Dicendum est primò, omissionem nullam habere motium intrinsecum imbitum in sua entitate, sicut illud habet actus positivus, qui per se ipsum respicit hoc obiectum motium, & terminatur ad illud, ita ut de potentia Dei absoluta non possit ad aliud, vel non ad istud terminari. Ab hac conclusione nullus dissentiet, cuius ratio hæc est efficacissima. Omisso intrinsecè nihil aliud est, quam non esse actus: sed idem non esse actus reperitur, quando est liberum respectu voluntatis, ac quando est omnino necessarium independenter à voluntate, cui nullum motium proponitur ad actum, & ad negationem illius; ergo eadem est omisso quando liberè procedit à voluntate, & quando necessariò existit independenter à voluntate, quæ nulla cogitatione prævenit circa obiectum amoris, vel omissionis: sed quando est necessaria independenter à cognitione nullum potest habere motium: ergo neque quando est libera illud habet per suam entitatem, quæ semper est eadem: Secundo, si omisso habet motium, debet esse illud, quod per cognitionem proponitur voluntati: sed possunt diversa motiva proponi voluntati, quibus moueatur ad eandem omissionem: ergo omisso eadem potest habere diversa motiva: ergo non sunt illi intrinseci, quidquid enim est intrinsecum, semper illam necessariò comitatur. Omissionem esse eandem, siue ab hoc, siue ab illo motivo procedat: est certum quia semper est negatio eiusdem actus, & suspensio eiusdem actionis.

Dicendum est secundò, omissionem habere motium extrinsecum immediatum, quasi interpretarium, & virtuale, ex eo præcisè, quod dependeat ex cognitione illud proponente. Probatur conclusio. Cognitione inclinat, & allicit voluntatem ad omissionem liberam, sed nullo alio modo id facit, quam proponendo, seu applicando obiectum, quod retrahat voluntatem ab actu omissionis opposito, & illam trahat ad omissionem illius: & sæpè, vel semper trahere intendat ad actum oppositum: ergo cognitio influit in voluntatem liberam, quasi per applicationem motui: ergo motium ad illam conducit, aliàs ad quid esset applicandum superflua: semper enim est applicatio rei non conducentis ad effectum; ergo si motium propositum per cognitionem non influit in omissionem liberam; superflua erit illius applicatio: ergo superflua erit cognitio, cuius totum munus est applicare obiecta, & motiva voluntati, ut ipsa se determinet propter motiva, quæ cognitio proposuit. Sed dici nequit, applicationem motui, quæ est cognitio, non conducere ad omissionem liberam: ergo dici nequit, ipsum motum in ipsam non influere, implicat enim puram applicationem rei non conducentis ad effectum, ad ipsum conducere.

Dixi motium proveniens voluntati ex dependentia à cognitione, esse immediatum, quia motium nullo medio influit in ipsam omissionem: sed per suam entitatem media cognitione applicatam, applicatio autem non se habet, ut medium

medium inter causam, & effectum, neque ex eo quod ignis calorem producat in ligno, dependenter ab applicatione, dicitur illum producere mediatè, seu media applicatione, quæ non est medium inter agens, & effectum, sed se tenet ex parte agentis, & simul cum illo est immediatè prior effectui per se ipsam, non prioritatè virtutis, sed conditionis. Motuum dicitur virtuale, & interpretatiuum, significat non esse intrinsecum ipsi omisio, sed interpretari, quasi intrinsecum, ex eo, quod omisio ab illo motuo procedat. In eodem sensu virtuale dicitur, quia omisio, quæ formaliter intrinsecè motuum non habet, quasi virtute, & æquivalenter, illud intrinsecè continet, ex eo quod ab illo procedat.

47 Respondet Arriaga subsect. 3. citatà, cognitionem, à qua dependet omisio, tantum influere in illam, tantum puram conditionem, ne cognitio inuitat ad actum posituum necessariò trahat, & determinet voluntatem, eo enim ipso, quod obiectum proponatur ut bonum, si alia cognitio illud non proponat cum aliqua ratione mali, voluntas illud necessariò amabit; est ergo cognitio influens in omisionem, conditio, ne voluntas necessariò feratur in omisionem, & quasi ablativa illius, quod necessariò voluntatè impelleret ad amorem, sicut remotio ignis aufert applicationem, quæ posita ignis combureret abque alio influxu, & causalitate in negationem ignis. Hac ratione quando cognitio hæc proponit obiectum amabile, & illa odibile, & voluntas suspendit omnè actum, cognitio proponens obiectum amabile, se habet tanquam conditio, ne voluntas necessariò eliciat odium, & cognitio proponens obiectum odibile est conditio, ut voluntas non necessariò feratur actu amoris in obiectum propositum.

48 Fateor, cognitionem proponentem obiectum odibile, esse conditionem, ne cognitio proponens obiectum amabile, necessariò voluntatem ad amorem adigat: Verumtamen nullo alio modo potest exercere tale munus conditionis, nisi proponendo obiectum motuum, quod per modum actus primi voluntatem reuocat ab amore, & inuitet ad omisionem amoris, & ad actum posituum illius, quia cognitio proponens obiectum odibile non destruit cognitionem proponentem illud amabile, neque tollit motuum amoris; ergo non impedit illius operationem, sicut remotio ignis impedit calefactionem, sed positiuè in oppositum inclinatur, per propositionem obiecti, quo voluntatè persuadere intendit, ut ab amore desistat, & obiectum propositum odio prosequatur; sicut cum trutina æquè libratas habet lanceas, & quantitas alteri superponitur, quæ illam deprimit, & alteram eleuat, alia quantitas posita in alia lancea impedit depressionem, quam produceret prima quantitas; non per remotionem virtutis, sed per conatum ad contrarium motum, & utraque quantitas operationem alterius impedit per conatum ad propriam operationem impossibilem cum operatione alterius: sic in cogitationibus inclinantiibus ad amorem, & odium, quælibet proponendo suum motuum, inclinatur per modum actus primi ad suum actum, & hac ratione operationem alterius impedit, vel saltem non necessariò constituit, quia voluntas ad oppositam, inuitata ab hac cessare potuit.

49 Secundo impugnatur eadem solutio: Cogitatio remouens voluntatem ab amore, non tantum præstat cogitationem inclinantem ad illum non inducere necessitatem voluntatè, quando hæc liberè omittit; sed iam liberam voluntatem constitutam ad amandum, & non amandum, efficaciter mouet ad suspendendum actum amoris: ergo ex vi illius voluntas, non tantum non amat necessariò, verum etiam liberè omittit amorem, quem posset elicere: ergo illa cogitatio retrahit voluntatem, non solum ab amore necessariò, sed etiam libero, qui adhuc illa posita, ex vi aliud cogitationis poterat oriri à voluntate: ergo non tantum retrahit voluntatem ab amore per ablationem virtutis aliud cogitationis ad voluntatem necessariò determinandam, neque per remotionem virtutis, ut talis cogitatio posset efficaciter voluntatem allicere ad amorem, sed per positiuam virtutem, quæ in actu primo voluntatem retrahit ab amore, quod alio modo fieri nequit, nisi per manifestationem motui, ratione cuius apparet obiectum, quasi indignum amore, quæ indignitas visa voluntatem retrahit ab illius amore, & omisionis est causa per modum motui applicati per cognitionem.

50 Ex motuo supernaturali supernaturalitatè extrinsecam trahere omisionem, tenet Ripalda disp. 70. citatà, n. 45. negat P. Didacus Ruiz, disp. 37. de prouidentia sect. 1. & iure opti-

Franc. de Quirado, Philosoph. Tom. 11.

mo, non enim ex eo quod aliquid procedat ex motuo supernaturali, supernaturalè dici potest, quia supernaturalitas intrinsecè est imbibita in ipsa entitate, & omisioni conuenire nequit, ut fatentur omnes extrinsecè sine fundamento ex motuo tantum tribui potest, quia in rebus positiuis motui supernaturali per se sufficiens non est ad inducendum effectum supernaturalem, ad quem semper supernaturale principium efficiens necessarium est: sed omisio non dependet à principio efficienti supernaturali, motuum enim ex eo quod sit motuum, efficiens non est: ergo nullum est fundamentum, ut omisio, adhuc extrinsecè, virtualiter, vel aliquo modo, supernaturalis dicatur. Nec de hac re amplius est contendendum, quidquid enim ultra hæc de illa dicatur, erit contentio de puro nomine, certum enim est, omisionem intrinsecè non esse supernaturalem, & iuxta principia tradita dependere aliquando à motuiis supernaturalibus, an verò præcisè ex hoc quod est in re, & nihil aliud, omisio dicenda sit extrinsecè supernaturalis, vel non, ultra nomen, differentia non est.

Id, quod Ripalda refert ibidem posse omisionem esse intrinsecè supernaturalem, secundum opinionem aliquorum, qui omisiones distinguunt secundum distinctionem principiorum, à quibus procedunt, ita vt diuersa sit omisio, quando procedit ab hoc motuo ab omisione, quæ est quando procedit ab alio, omni verisimilitudine caret, quia quocumque est omisio amoris, non est vllus amor, ergo est omnis possibilis negatio amoris. Probo consequentiam, esse negationis, nihil aliud est, quàm non esse actus, qui opponitur, sed quando voluntas omittit, nullus est actus aliquo modo: ergo est omnis negatio, omni modo quo potest esse: ergo semper est eadem, cum semper æquè non sit actus.

S. V.

Argumentorum solutio.

Obiici solet contra conclusionem, quæ diximus posse dari puram omisionem liberam S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 9. & aliis in locis, sed parum fideliter Angelici Doctoris testimonia referunt aduersarij, quæ nostram sententiam non impugnant, sed propugnant. Sic Doctor Angelicus art. 5. citato: *Ad secundum, dicendum, quod aliquid dicitur voluntarium, non solum quia cadit supra ipsum actus voluntatis, sed quia in potestate nostra est, ut fiat, vel non fiat: unde etiam ipsum non velle, potest dici voluntarium, in quantum in potestate hominis est velle, & non velle.* Hæc D. Thom. quibus verbis disertè nostram exprimit sententiam, & P. Vazquez oppositè tenens, illa interpretari conatur de actu reflexo, pertinente ad omisionem, quo dicat voluntas, volo omittere, quæ interpretatio vtilis est, ne tanti Doctoris sententia aperte deferatur.

Obiicies secundo Omisio est negatio: sed ad negationem non datur potentia: ergo ad negationem non datur libertas, quæ essentialiter includit potentiam. Respondeo, non dari potentiam ad negationem respectu principij impotentis elicere actum negationi oppositum, exempli gratia, ad non videndum non est necessaria, neque datur potentia in lapide, dari tamen potentiam ad negationem respectu principij potentis elicere actum oppositum, & inuitati, seu quasi attracti ad illum, cui principio maxime virtuti tribuitur, se continere, & non prorumpere in actum, ad quem viuia cogitatio, vehemensque tentatio animum inclinabat. Hac ratione non potentia, sed imbecillitati, tribuitur, hominè tactum dulcedine obiecti, quod amplecti potest, illud statim, & quasi necessariò amplexari, & continenter, impotentesque vocamus, & dicimus, se continere non posse, & non esse sui compotes, homines, qui ita in obiectum belluino more, positiuè feruntur, quos valde potentes validissimòsque viros diceremus, si eisdem euentibus, quibus, quasi fatali quadam calamitate, per actus positiuos in consuetudinem, quasi innatas, labuntur, de propria imbecillitate illis quidem fortiore per puram suspensionem actus victoriam reportarent. Ad formam argumenti respondeo, Ad negationem actus non est necessaria potentia, distinguo: Ad negationem actus, ortam à principio potenti exercere, & non exercere actum, nego: Ad negationem actus, respectu subiecti impotentis actum elicere, concedo, deinde nego consequentiam. Distinctionem clariùs precipies, si per alleas doctrinam, quam opportunè satis ad rem nostram tradit sapientissimus Soar. disp. 19. Metaph. sect. 4. n. 11. Ad hoc, ut voluntas possit non agere, seu omittere, requiritur potentia, ut possit libere agere, per quam consti-

constituitur voluntas potens non agere, sine qua non esset potens ad non agendum; sed impotens ad agendum, quæ duo inter se sunt valde distincta, in principio enim potenti ad non agendum, non actio, seu omisso oritur ab ipso principio, quod per potentiam physicam, & realem potens est agere, & similiter potens non agere in principio verò impotenti ad agendum, sicut est lapis respectu visionis, negatio visionis, non lapidi tribuitur, tanquam principio illius, sed dicimus negationem visionis oriri in lapide ex negatione potentie ad videndum, & hæc causalis vera est, ideo est negatio visionis in lapide, quia illi non est potentia ad videndum, quæ causalis falsa est in homine liberè omittente, de quo non possumus dicere, ideo est in homine negatio amoris, quia illi non est potentia ad talem amorem eliciendum.

54 Obiicies tertio. Voluntas purè omittens, nihil habet, per quod in actu secundo constituatur libera: ergo omisso non potest esse libera. Probatur consequentia: libertas in actu secundo debet dicere aliquid, quod non dicat in actu primo: sed in voluntate purè omittente nihil est, quod non sit in libertate per modum actus primi, ergo nihil est, quo constituatur libera in actu secundo. Respondeo, libertatem in actu primo non dicere actum, neque negationem illius, ut per se patet, quia libertas in actu primo est indifferens, ut coniungatur cum actu, & cum negatione illius, & libertatem in actu secundo dicere negationem actus, per quam voluntas, supposita libertate in actu primo constituitur libera in actu secundo.

55 Obiicies quarto. Libertas est potentia vitalis: ergo non potest reduci ad actum, nisi per actum vitalem, sed omisso non est actus vitalis: ergo non potest libertas per illam ad actum reduci. Respondeo, distinguendo primum consequens. Non potest reduci ad actum, secundum positum, seu commissionis nisi per actum vitalem, concedo consequentiam: Non potest reduci ad actum, secundum priuativum, seu omissionis, nisi per actum vitalem, subdistinguo: nisi per actum vitalem positum, nego consequentiam: nisi per actum vitalem negativum, hoc est per negationem actus vitalis, concedo consequentiam. Alio modo respondere poteris, si distinguas primum antecedens: libertas est potentia vitalis, distinguo: respectu actus positivi, concedo, respectu actus negativi, etiam liberi, nego. Alio modo: libertas est potentia vitalis exercens suam vitalitatem per actum positum, concedo: exercens suam vitalitatem per actum negativum, nego: deinde nego consequentiam.

56 Obiicies quinto. Omisso non est à principio intrinseco, neque voluntaria: ergo non potest esse libera. Respondeo, omissionem esse à principio intrinseco, & voluntariam negatiuè, quatenus potest tolli per actum voluntarium provenientem à principio intrinseco, cuius est priuatio, & de facto non tollitur propter motum propositum per cognitionem intrinsecam, quod voluntatem detinet, ne eliciat actum, & tollat omissionem.

57 Obiicies sexto. Entitas libera, ablata illius libertate, manet voluntaria: ergo si omisso esset libera, ablata libertate, maneret voluntaria: sed omisso libera non potest esse voluntaria: ergo non potest esse libera. Respondeo, actum positum liberum, ablata libertate, manere voluntarium, quia remanet cum dependentia physica à voluntate, à qua cum erat liber physice, & moraliter dependebat; actum verò negativum, ablata libertate, non manere voluntarium, quia ablata libertate, aufertur dependentia moralis, quam habebat omisso à voluntate, & hæc ablata, nulla illi remanet dependentia physica, quia omisso libera non physice, & moraliter dependet à voluntate, unde omisso amoris circa obiectum non cognitum non tribuitur voluntati, tanquam causæ physice, vel morali; actus verò amoris necessariò productus tribuitur voluntati, tanquam causæ physice, illum producenti.

58 Obiicies septimo. Intellectus non potest omittere actum, ad quem habet sufficientia principia, nisi per alium actum: ergo neque voluntas id poterit. Respondeo, longè disparere esse rationem, quia intellectus est potentia necessaria, & non potest se ipsum determinare ad intelligendum, vel ad suspendendum actum, quem semel exercet, unde ut cesset ab hoc actu, necessarius est alius actus impossibilis cum isto, vel voluntatem illum determinare ad cessationem illius, quæ determinatio voluntatis, actum intellectus essentialiter supponit. Voluntas verò est potentia libera, quæ non indiget alio extrinseco determinante, sed ipsa

per proprium positum actum se determinat ad amandum, & per negationem illius se determinat ad non amandum.

Obiicies ex Recentioribus Ariaga, sequi ex libertate omissionis, illa fore meritoriam, quam illationem, tanquam absurdam solvere conatur: sed Ripalda disp. 70. citat paginibus, & rationi, meritum omissionis, & illud probat eisdem testimoniis, quibus Ariaga illud tanquam absurdum inferebat, quapropter quidquid sit de illatione, & merito omissionis, tenendum est, omissionem posse dari liberam abque actu, qui sit causa illius, & nullum erit absurdum concedere, omissionem esse meritoriam, si id inferatur, quod modo non desinio, quia pendet illatio ex principis requisitis ad meritum, quorum examen Theologo datur, non Philosopho, rem intra terminos putat Philosophia tractandi.

PUNCTUM II.

An possit dari omisso omnium actuum collectivè sumptorum.

Robauri iam voluntatem posse merè negativè se habere, omnemque suspendere actum circa obiectum propositum; sed adhuc restat difficultas, an id possit præstare circa omnia obiecta proposita collectivè sumpta, ita ut nullum actum ratione vigilante exerceat voluntas. Negat P. Ruiz de providentia disp. 42. sect. 7. n. 161. ubi asserit voluntatem teneri, quando intellectus intelligit, eligere vult ex actibus, quos ipse assignat, & refero. Primus est volitio deliberandi circa obiectum sibi propositum ab intellectu, utrum faciendum, vel non faciendum sit; vel utrum statim aggrediendum, vel quomodo, & quibus circumstantiis. Secundus est volitio non deliberandi, sed laxandi habenas intellectui, ut proponat, quod occurrerit, & prout occurrerit, cogitandum. Tertius est, volitio diuertendi cogitationem ad alia obiecta. Quartus est, volitio amans aliquod obiectum actu propositum. Quartus est, penetrandi melius & perseverandi in intuitu, & consideratione obiecti, prius representati ab intellectu. Inter quas volitiones, & alias penè innumeras ab his contentas, asserit, teneri voluntatem vagè hanc, vel illam elicere, retentam libertate circa determinatam quamlibet volitionem.

Sto pro affirmativa parte cum Gaspare Hurtado, de Pecc. disp. 3. diff. 17. & affirmo, voluntatem posse purè negativè se habere circa omnia obiecta collectivè sumpta. Conclusionem probo, eadem ratione, quæ probavi, posse dari puram omissionem circa unum obiectum, applicando eandem formam ad extensorem materiam, Nullum obiectum necessariò proponitur voluntati necessariò amandum, vel odio habendum, seu nullus actus voluntatis per se sumptus, in particulari est necessarius: ergo adhuc distinctivè nullum tenetur exercere voluntas. Probo consequentiam; nullum est principium, quod determinet ad actum sub distinctione, sed quolibet determinat ad proprium suum actum: ergo si nullus actus in particulari est necessarius, neque in communi, seu sub distinctione necessarius erit. Primum antecedens concedit Ruizius, & nullus negat, sæpe enim voluntati omnia obiecta ita sunt proposita, ut possit à quocumque actu in particulari cessare, quia nullum proponitur summè bonum, quod ad amorem necessariò trahat voluntatem, vel ad odium, abque indifferentia determinet. Confirmatio consequentis firma videtur, quia quælibet cogitatio tantum inclinatur ad suum obiectum, & non amplius: ergo nulla datur, quæ determinet ad amandum rationem aliquam communem præter illam quam ipsa representat. Fundamenta Ruizij oppositam tenentis sententiam proponam, & solvam.

Arguit primò P. Ruizius: dominium respicit voluntatem, non in quantum est causa naturalis, sed in quantum est causa libera. At verò voluntas, ut causa naturalis, inclinatur ad bonum, sublati impedimenti, ergo per libertatem voluntatis cohereri ad hoc non potest. Respondeo, dominium voluntatis tantum illa respicere, ut causam liberam, esse tamen liberam circa omnia obiecta proposita cum admixtione boni, & mali, & posse omnia obiecta aliquando ita proponi, ut in quolibet rationem aliquam inveniatur mali & boni, & libera circa omnes actus, ad quos potens est, constitutur. Quando verò aliquod obiectum boni si sine admixtione mali proponatur, vel boni in communi illi repræsentetur.

representetur, tum illud amare tenebitur, sed talis propositio, seu representatio non semper occurrit.

Arguit secundo, nullum hominem posse scire in hac vita, an per puram omissionem, an per actum positivum cesset ab omnibus volitionibus; quod si per actum positivum se applicat ad volitiones suspendendas, iam tunc voluntas elicit actum, quo dicat, volo omittere, quem si non eliciat, necessario aliquid ex relatis est elicitura. Resp. admittendo nullum posse scire in hac vita, an cesset ab omni actu, & implicare sciri, neque apprehendi ab aliquo, nisi per summam ignorantiam; voluntatem cessare ab omni actu per actum positivum; implicat enim ab omni actu cessare, dum habet actum positivum; nego tamen, hoc deficiente, necessario voluntatem elicaturam aliquid actum ex relatis à Patre Ruizio.

Arguit tertio, & hoc argumentum probationem principalem suae conclusionis esse dicit: numquam posse voluntatem se reducere de potentia ad actum & redire ad habendas volitiones, nisi vera sit conclusio ab ipso tradita. Sequelam probat, quia postquam voluntas libera voluit suspendere omnem actum collectivum per tempus, v. g. semiquadrantis horae, transacto illo semiquadrante, nihil est, ratione cuius voluntas possit redire ad exercitium suarum actionum, neque se ad volitiones determinare, quia volitio praeterita, quae omissionem per semiquadrantem praefixit, nihil reliquit in voluntate, ratione cuius, illo tempore transacto voluntas se possit determinare, quia non potest liberam volitionem inchoare, quin aliqua volitio necessaria exercitium libertatis praecedat, quod probasse dicit scilicet.

Supponit Doctissimus Pater voluntatem se debere determinare per actum positivum ad omissionem, calu, quo illam sit habitura, quod falsum iudico, quia illa voluntas, quae diceret, volo omittere omnem actum, non conduceret ad omissionem suis, facilius enim voluntas illa volitione caret, si eam non habuisset, neque ad volitionem aliorum actuum, quia tempore, quo esset tota omisio omnium actuum collectivum sumptorum, non erat futura illa volitio: ergo per se ipsam ad nihil poterat voluntatem determinare, volitio enim, quae non est, sed fuit, nihil potest influere, nisi media sui cognitione, cognitio autem voluntati diceret: tu proposuisti suspendere omnem actum, vel quodvis aliud novum obiectum proponeret, in quod posset voluntas tendere actu positivo, ac proinde difficiliorem omissionem redderet. Ex his respondeo, voluntatem posse cessare ab omni actu, absque eo quod praecesserit aliquis actus positivus, quo se ad cessationem determinaverit; sed per puram omissionem se constituendo pure omittentem, & determinatam ad omissionem, sicut determinatur ad actum amoris per ipsum amorem absque eo quod praecesserit actus, quo dicat, volo amare. Eodem modo affirmo; voluntatem posse in quocumque instanti ad positivum libertatis exercitium redire, ex vi cognitionum, quibus voluntas liberè omitebat, quod posset in quocumque instanti semiquadrantis efficere, etiamsi antea de crevisset, per illud tempus omittere, quia actus, quo diceret voluntas, volo per semiquadrantem omittere, non ita illam necessario determinaret ad omissionem, ut non posset operari, & non omittere toto illo tempore. Illud quod addit, voluntatem in quolibet negotio incipere ab actu necessario eiusdem voluntatis primum actum liberum praecedentem, forsan non est verum, quia ex eo quod obiectum ab intellectu voluntati proponatur sub ratione boni, & mali, voluntas poterit absque alio praevio actu eiusdem, liberè illud amare, vel odio afficere. Sectionem tertiam, quae id probasse dicit, legi totam, in quam eruditione, quam in omnibus hic author doctissime affectat, reperi, nihil tamen ratione, neque autoritate firmum ad conclusionem probandam inveni. Si autem verum sit voluntatem incipere in quolibet negotio ab actu necessario, in his ad quae positivum determinat, in illis, in quae per puram omissionem tantum tendit, hoc admitti necessarium non est.

Arguit quarto, Si Deus non necessitat voluntatem quoad exercitium aliquam volitionem determinatam vagè, non poterunt defendi S. Thomas, & alij Scholastici dicentes causas secundas necessarias, & liberas moveri & applicari à Deo non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Resp. Deum applicare, & movere causas secundas liberas quoad exercitium, quia illis praebet concursum generalem, & cogitationes ministrat, quae causam

liberam ad exercitium actus movent, & inclinant per modum actus primi, dependenter tamen ab illius libertate, ex vi cuius poterit voluntas, supposita hac applicatione, & motione per modum actus primi adhuc in sensu composito, non se aliquo positivo actu exercere.

Arguit quinto, non posse, nisi in sua sententia conciliari testimonia S. Thomae & aliorum, afferentium voluntatem non necessitari ad volitionem boni, seu beatitudinis in communi quoad exercitium, & postea affirmantium, talem volitionem esse necessariam. Respondeo, non pertinere ad perfectam huius difficultatis tractationem, testimonia relata conciliari, & in quacumque sententia, ut sonant explicata sunt difficilia, nihil enim est aliud, voluntatem necessitari, quam actum necessarium elicere. Possunt tamen praedicti Doctores intelligi, cum dicunt voluntatem necessario amare beatitudinem, seu bonum in communi, de voluntate praevientia cogitatione boni, & beatitudinis sine admixtione mali; quando verò non dicunt, non necessitari ad hanc volitionem quoad exercitium, sed quoad specificationem, interpretari possunt de voluntate secundum se, propterea alitrahit ab ipsa praevientia cogitatione, vel sine illa, quia quando voluntas non praevientur cognitione boni, seu beatitudinis in communi, non est necessaria ad exercitium, ad quod adhuc non est proxime potens, est tamen determinata semper quoad specificationem, quia ratio boni in communi, ut sic, numquam potest odio haberi.

Arguit sexto, secundum doctrinam ab ipso traditam, Angelis fore similiorem animum rationalem, qui nunquam possunt ab omni actu cessare. Respondeo, naturam voluntatis humanam me, constituere ex principiis Philosophicis, & effectibus, quos in illa agnosco, independentem à maiori vel minori similitudine cum Angelis, de quo modo non curo, neque aliquid definio, quia nihil de similitudine extremorum potest tradi, quovisque uniuscuiusque natura exactè sit explicata.

CONTROVERSIA XI.

De intentione & electione.

PUNCTUM I.

Explicatur obiectum intentionis, & electionis.

NON omnes actus voluntatis, primus omnium est quidam simplex affectus, quo bonum voluntati placet secundum se consideratum, absque ullo ordine ad possessionem, absentiam, vel praesentiam illius. Affectus iste primogenitus voluntatis, nomen genitricis assumit, & voluntas dici solet: aliàs amor strictus, propterea distinguitur à desiderio, quod bonum adquirendum respicit, & gaudium, quod iam adquisitum intuetur. Ex hoc actu omnes alij, quibus voluntas obiectum prosequitur, originem trahunt: inter quos unus est desiderij actus qui respicit bonum obtinendum. Desiderium istud aliquando est in ordine ad media, aliquando sine illo respectu ad ipsa, saepe enim quis desiderat obtinere dignitatem praecise ex eo quod illi representetur commoda, & illa careat, quia illi in particulari, neque in confuso media aliqua in ordine ad illam adquirendam representantur. Frequentius tamen desiderium istud ordinem dicit ad media aliqua, confusè, vel determinatè cognita, quibus dignitas illa adquirenda est, & illam voluntas dependenter à medijs adquirere desiderat, cuius applicationem virtualiter, & quasi implicite amat, quia eo ipso quod quis enixè desiderat honorem Crucis D. Iacobi obtinere medijs obsequiis Regi factis, & facinoribus egregijs pace, belloque perpetratis, virtualiter vult illa obsequia Regi praestare, & hac facinorosa peragere, ut dignitatem, & propositum sibi honorem consequatur.

Hæc desideria aliquando sunt efficacia, aliquando non efficacia sunt. Efficacia dicuntur illa, ex vi quorum nullum non medium ponitur ad finem obtinendum, & componi nequeunt cum omissione positionis mediij requisiti